



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

152. De Eobano Episcopo & Martyre in Frisia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

588 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
manni habuit Bonifacius in prima profectio[n]e post obi-
tum statim S. Willibrordi.

Præterea tota narratio Becani de S. Bonifacio est con-
fusa & falsa continens, v. g. quod dicat S. Bonifacium
creatum Archiepiscopum & quidem Moguntinum à
Gregorio secundo, cum Archiepiscopus Moguntinus sit
creatus à Zacharia P. qui successit Gregorio tertio. quare
conferenda & examinanda est ad Othlonum de vita S.
Bonifacij cum notis N. Serarij ad eundem.

DISSERTATIO CLII.

De Eobano Episcopo & Martyre in Frisia.



Obanum à S. Bonifacio interiorem
Frisiam ultimum petituro in auxilia-
rium & adiutorē ad functiones Epis-
copales obeundas esse assumptum, su-
perius est intimatum. Restat no-
dus.

Eobanus legitur fuisse tātum Cho-
repiscopus apud Hedam, ac ita eum
vocat Othlonus lib.2. cap.25. & Mo-
lanus refert se etiam meminisse ad portatilem tumbam
Sancti Eobani Traiecti legisse: *Corpus Sancti Eobani Martyris*
Chorepiscopi huiss Ecclesie. Chorepiscopi autem non erant
veri Episcopi; quomodo ergo Eobanus cum Bonifacio
obiret munera Episcopalia?

Respondetur, in Othlono corruptè haberi vitio libra-
riorum aut imperitorum Chor[o]episcopo pro Coepiscopo:
nam

nam verbis immediate sequentibus Othonus vocat eum Episcopum constitutum Traiecti à Bonifacio; Coepiscopum etiam vocant Beda, Vsuardus, Ioannes Becanus antiquior Hedā. Facile autem ex Coepiscopo inscritia aut socordia fuit scriptum Chorēpiscopo, qui error ad plures inde manauit. Addit Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 32, facile à quibusdam in clero Traiectensi, vbi Chorēpiscopi dignitas existit, erratum esse, qui eum suæ Ecclesiæ Chorēpiscopum esse dixerunt, quod non intellexerint veros inter Belgas fuisse multos Episcopos, qui absque ullo titulo Episcopatus ordinabantur ut gentiles cōuerterent.

Itaque Chorēpiscopum eum fuisse arbitrati sunt, eo quod Chorēpiscopi aliquando in choris, hoc est in agris, regiunculis & pagis, vnde nomen acceperunt, Episcoporum munera obire attendarint, aut propria præsumptione, cum non aliud quam presbyteri essent, aut ex audaci quorundam Episcoporum eos consecrantium temeritate, qui Vicarios Episcopos quererebant ut ipsi mollius viuerent, imitantes, ut Damasus Pontifex notat, mulieres meretrices quæ voluptatis causâ infantes suos alijs nutribus tradunt educandos. Hi autem Chorēpiscopi, cum de summo ministerio aliquid præsumerent, quod omni auctoritate carebat, & sacris Canonibus contrarium erat, atque ad totius Ecclesiæ perturbationem tendebat; tam ab hac sanctâ sede, ait Damasus, quam & ab omnibus totius orbis Episcopis, à pontificalibus sunt remoti officijs. Quis igitur credat, post sepe damnatam pontificalem Chorēpiscoporum præsumptionem, Bonifacium Germaniq; Apostolum ad sui iam senis subleuationem, Eobanum ut Episcopalia exerceret munera, contra canones & decreta Pontificum constituisse & ordinasse Chorēpiscopum?

E e e 3

copum?

590 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS

copum? non id dicamus quod omni ratione caret. Corruptius scribunt alij Chorepiscopum, quasi Episcopus fuisset in cantorum choro, ignorantes etymologiam nominis; non enim dicuntur Chorepiscopi à choro canticum, sed à verbo græco Chorus, quod significat regionem aut agros, quia in ijs solebant Chorepiscopi alias functiones obire. Fuit vero Eobanus verus Episcopus Traiecti, deinde Coepiscopus & comes Bonifacij dum vltimò pergeret in Frisiā ordinato primum in Ecclesiā Traiectensi Gregorio.

Quomodo autem dignitas, ut & nomen, Chorepiscopi ab Ecclesia sæpe damnata in Ultraiectensi Ecclesia permanferit, doctè explicat Molanus loco citato.

DISSERTATIO CLIII.

De Martyrio S. Bonifacij eiusque loco.

LVCANDARUM ANIMARUM SPIRITUS S. BONIFACIJ IN
GRANDEA ETATE NEC TEPESCERE POTUIT. Nam cum
esset octogenarius in summa dignitate, honore,
maximo in pretio apud Moguntinos & reliquos
Germanos & Francos, ac locus quietis pateret,
omnibus illis spretis, incenditur ad profecitionem grauem
& periculosa in Frisiā, ut animas tenebris gentilium
adhuc inuolutas in admirabile Christi lumen traduceret.
De qua profecitione Othlonus lib. 2. cap. 25. Paucis itaque,
ait, diebus transactis naui cum conuiatoriis, ad huius-
modi iter electis ascendit, & Rheni fluminis a luceo differ-
tur, donec aquosa Fresonum arua ingrediens, in stagnum
(quod